

THESES LOGICÆ

De

SYLLOGISMO

QVAS IN ALMA ET CATHO-
LICA ACADEMIA
DILINGANA.

PRÆSIDE

GEORGIO REEB, SOCIE-
TATIS IESV, PHILOSOPHIAE
PROFESSORE
Ordinario

DEFENDENDAS SVSCEPIT

F. MARTINVS ÖFELE ORDI-
NIS S. BENEDICTI AD S. CRV-
CEM DANVWERDE PROFESSVS,
PHYSICES STV-
DIOSVS.

ANNO CIO. IOC. XXIII. MENSE
NOVEMBRI

D I L I N G Æ

Cum facultate Maiorum.

Formis Academicis.

Apud V D A L R I C V M R E M.



BALTHASARO
CELEBERRIMI AD S. CRV-
CEM DANVWERDÆ COE-
NOBII

PRÆSVLI

AMPLISSIMO, DIGNISSIMO:

SACRO IBIDEM ET VENE-
RANDO IN CHRISTO
CONVENTUI.

HAS DE SYLLOGISMO
ASSERTIONES; ET CVM HIS SE-
ET SV A

In Obseruantia Testimonium.

Ad nascentis Anni CIO. DC. XXIV.


Auspicium.

Ex Merito. Ex Debito.

D. D. D.

Maioribus tantis indignus

E. MARTINVS OEFELE.





X multis que Aristoteles de Syllogismo duobus libris. Et alij cum ipso agunt, pauca quedam selegimus: I. Definitiones syllogismi & quaestiones inde dependentes II. Principia eius quedam intrinseca & extrinseca III. Modos tertie figura defendendi viam unam adiuuimus.

§ I.

ARISTOTELICA SYLLOGISMI DEFINITIO EXPLICATVR.

I.



SYLLOGISMVS ita communiter definitur; *Oratio, in qua quibusdam positis, aliud abijs qua posita sunt ex necessitate accidit, eo quod haec sunt.* Supposita communi explicatione primae voculae; quae dicit *Orationem* hic locum generis obtinere, ita tamen vt *complexa* intelligatur, duas minimum aut tres syllogismo necessarias propositiones complectens, ex aliarum particularum explicatione variae quaestiones dependent. Quaeritur enim hic I. *An dicta definitio comprehendat syllogismos etiam Hypotheticos & coniunctis propositionibus constantes?* Non desunt qui negant; quorum ratio fundatur in explicatione *to quibusdam*; dicunt enim ibi tales ab Aristotele propositiones requiri, quales paulo ante definiuit, sed definiuit Categoricalas tantum & simplices, ergo. Ex quo capite etiam excludunt *Syllogismos Expositorios*; & hi ex mente Aristotelis bene videntur sentire: Interim tamen si abstrahamus ab hac explicatione & solam inferendivim spectemus, non male etiam tales ab alijs sub praedicta definitione comprehendi dicentur.

II. Ex occasione tò *positis* quæritur II. *An dicta definitio comprehendat syllogismos Probatiuos tantum, an uero etiam Illatiuos, adeoq; constantes ex præmissis aperte falsis?* Hos, ab Aristotele esse exclusos non videmus, & sic *positis* idem erit ac in debito modo ac figuræ dispositis, vel etiam ut concessis sub conditione, vel datis præmissis quomodocunq; quoad materiam affectis, conclusio amplius negari nõ possit: adeoque ab Aristotele hic præcipuè forma syllogismi spectata fuit. Ratio huius explicationis est. I. Aristoteles ponit exempla in materia omnino falsa, ergo non excludit à definitione suâ syllogismum *Illatiuum*, antecedens probatur exemplis eius quæ solent esse talia: *Omne A est B; omne C est A; ergo omne C est B.* Dicunt illas litteras supposititiè sumi, sicut Mathematici suas lineas vocant lineam A. B. &c. Sed mens Aristotelis aliunde colligitur, quod has litteras ita accipiat, ut abstrahat an propositiones illæ veræ sint an non: nam inter potestates syllogismorum vna est, *Ex vero falsum colligere*, sed illæ potestates conueniunt syllogismo ab Aristotele definito, ergo ille potest habere præmissas falsas. II. In deductione per *Impossibile* necessariò vna ex præmissis est falsa, ergo illi syllogismi non excluduntur.

III. Propter vocem *aliud*, per quam *Conclusionem* intelligunt, quæritur III. *An Conclusio sit pars syllogismi essentialis?* Rationes vtrinque pugnant: I. Classis negat *Conclusionem* esse partem syllogismi, sed totam eius essentiam in solis præmissis saluari contendit I. *Effectus non est de essentia causa, sed Conclusio est effectus syllogismi, ergo non est de essentia syllogismi*: minor est clara, quia per syllogismum gignitur opinio vel scientia, sed ipsa Conclusio est illa actualis scientia vel opinio, quæ syllogismo efficitur ergo Conclusio est effectus syllogismi. II. *Conclusio est res quæ scitur, sed ad rem sciendam adhibetur syllogismus, ergo Conclusio non est pars syllogismi sed effectus eius.* II. Sententia contraria est, ideo: *De essentia discursus est Conclusio seu Illatio*, omnis syllogismus est *discursus*, ergo de essentia eius est Conclusio: M. Probatur, alias vnica propositio erit *discursus*, nam sæpe *discursus* habet tantum antecedens & consequens, ergo si consequens non fit de eius essentia, erit solum antecedens de eius essentia, adeoque constabit vnica propositione.

IV. *Lis videtur de nomine, quam dirimit III. Sententia fufe explicata apud Paulum Vallium t. 2. l. i prior. q. 2. c. 4. Vbi sic ait: Duobus modis potest syllogismus considerari, I. Quatenus dicitur tertiam operationem intellectus perfectam & completam, quatenus scilicet unum inferimus ex alio: II. Quatenus dicit Instrumentum logicum directiuum huius tertie operationis, quatenus per hanc operationem unum inferimus ex alio, & huiusmodi instrumento docemur bene inferre & sine errore; Si priori modo sumatur syllogismus tunc utiq; Conclusio est de essentia eius; si vero sumatur secundo modo, tum Conclusio non est de eius essentia, sed aliquis effectus illius; Et hoc secundo modo sæpe etiam Aristoteles illum accepit: & cum hac explicacione coincidere videtur illorum explicatio qui dicunt syllogismum duobus modis sumi I. Efficienter pro Instrumento illatiuo, sic Conclusio non est de eius essentia II. Formaliter seu pro instrumento faciente intellectum formaliter scire; sic includit Conclusionem: Ad primum & secundum I. Sententia valet distinctio: Conclusio est effectus syllogismi vt Formaliter sumitur & vt est tertie operatio negatur, si sumitur Efficienter conceditur: Ad II. Sententia argumentum distinguitur minor, omnis syllogismus Formaliter sumptus conceditur, Efficienter acceptus est discursus, negatur.*

V. *Propter voculam ex necessitate, oritur IV. quaestio; Quae necessitas hic intelligatur? Distingunt duplicem necessitatem, vnam vocant consequentis alteram consequentiae; consequentis necessitas vocatur illa, quando ipsa propositio post voculam illatiuam ergo posita est necessaria, & necessaria inrer prædicatum eius & subiectum connexio & habitudo intercedit; adeoque quando ipsum consequens est necessarium: Consequentiae necessitas est, quando positae præmissis necessariò inferitur Conclusio, licet ipsa in se spectata tantum sit probabilis: v. g. dico omnis malefactor odit lucem, fur est malefactor, ergo fur odit lucem, hic consequens, tò fur odit lucem, non est necessarium; consequentia autem & vis inferendi est necessaria, adeo vt si maiorem veram iudicas & minorem, consequentiam negare non possis; de hac postremâ necessitate hic est sermo. Sed necessitatur ne aliquis postquam maiori & minori est assensus, ad idandum assensum Conclusioni? quoad specificationem actus videtur omnino certum illum necessitari, adeoque si velit aliquem actum post illam maiorem & minorem concessam*

exercere; assentiri debeat & non dissentire: An vero quoad *exercitium* actus hoc fiat, ex alibi dicendis dependet, interim etiam hoc fieri probabile putamus.

VI. Postrema Definitionis particula est hæc *Eo quod hæc sunt*, quibus verbis significatur Conclusionem *vi formæ* debere sequi: unde quaeritur V. *Quid consequentia Formalis, quid materialis?* *Formalis consequentia* dicitur quando *seruatâ simili forma semper bene concluditur*, hoc est quando talis terminorum & propositio- num dispositio adhibetur, vt in quamcunque materiam inducatur nunquam ex vero falsum colligat v. g. dico *omniferibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis*, forma & dispositio huius consequentiæ in hoc consistit I. Quod sint tres propositiones vniuersales affirmatiuæ: II. Quod medius terminus semel subijciatur & semel prædicetur &c. hæc itaq; dispositio in quamcunq; materiam inducatur nunquã ex vero antecedente falsum consequens colligit. *Materialis consequentia est, cuius formâ seruatâ non in omni materia bene concluditur.* Eius fallacia detegenda est primum aliqua instantia v. g. dicis *omnis homo est risibilis, omnis Philosophus est risibilis, ergo omnis Philosophus est homo*: Tantum materialiter concludis, vt patet instantia *omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo*: dein ostendendum ybi peccetur.

S I I.

DE PRINCIPIIIS SYL-
LOGISMI MATERIALI-
BVS,

VII. Materiam syllogismi communiter statuunt duplicem, *Proximam, Remotam*. *Proxima* sunt Propositiones quæ ad syllogis- mum extruendum assumuntur; *Remota* sunt *Termini* & partes ip- sarum propositionum, quæ his nominibus vocari solent *Maius extremum, Minus extremum, Medius Terminus*. *Medius Terminus* vocatur ille, qui bis in præmissis ponitur; habet hoc no- men inde, quia ipse est *Medium* quoddam inter prædicatum & sub- iectum Conclusionis; causa enim & motiuum quare res, quæ in Con-

clusionem

elusione affirmatur, seu prædicatum sit in subiecto illo, adeoque quare prædicatum & subiectum illud habeant inter se connexionem, est, quia connexa erant in eodem syllogismo cum tertio aliquo, nimirum *Medio termino*; & quidem si necessariam cum Medio connexionem habeant, ipsa etiam inter se necessariam habebunt, si contingentem tantum. nec ipsorum tunc connectio maior erit: si enim Petrus & Paulus necessario cum Ioanne sint concatenati & connexi, etiam inter se (*mediate tamen*) concatenati erunt.

VIII. Difficilior est Responsio ad hoc, quando hic quaeritur; *Quod sit Maius extremum in II. & III. figura?* Nam de I. facile inter omnes convenit, I. Sententia hac in re expeditam habet viam, dicit enim *Illud esse Maius extremum quod in Conclusionem prædicatur*: Altera æque facile dicit *Maius extremum esse id, quod in questione proposita & probanda prædicatur*. Tertia ait *Maius extremum esse illum terminum, qui in prima harum figurarum propositione ponitur*, quam sententiam veriore iudicamus: pro qua supponimus, *certum esse primo*, illud debere assignari pro *Maiori extremo*, & talem pro illo regulam statuendam, quæ valeat pro omnibus syllogismis in bono modo ab Aristotele positis. *Certum* putamus esse secundo, statim in præmissis debere nos scire quodnam sit *Maius* quod *minus extremum*. Ratio est, antequam inferatur Conclusio, debeo scire *Maius extremum* prædicari debere in Conclusionem de *minore* alias sæpe falsa fiet Conclusio, sic enim contra I. sententiam dicimus.

IX. Vel possum pro libitu alterutrum terminum qui cum Medio ponitur in Conclusionem prædicare adeoque facere *Maius extremum* vel non possum: neutrum in I. Sententia dici potest, ergo. *Non secundum*; quia tunc incidet in II. & III. Sententiam: *Sed nec primum dici potest*: quia tunc sequeretur in bono modo ex veris præmissis falsa Conclusio, consequens est absurdum, ergo. Sequela probatur v. g. in Festino hoc modo: *Nullus infans est Magister in artibus; quidam homo est Magister in artibus; ergo quidam infans non est homo*. Item in Felapton *Nullus Magister est infans, omnis Magister est homo, ergo quidam infans non est homo*: Hoc incommodum in III. Sententia pulcherrime vitatur; nam vi Maioris extremi, quod ibi prædicari debet, fient tales conclusiones, *ergo quidam homo non est infans*; quo quid verius?

Plura

Plura possent ad ferri exempla & incommoda deduci, & ex Aristotele hic. c. 7. illa explicatio certo de probari, sed hæc sufficiant.

§ III.

DE PRINCIPIIIS FORMALIBVS SYLLOGIS

M. I.

X. Duo itidem assignantur, *Figura & Modus*, *Figura* regulat & in ordinem dirigit *materiam remotam*, terminos videlicet, dans illis certū sitū vt mutatis vicibus nunc prædicetur nunc subiiciantur &c. *Modus* in officio cōtinet ipsas *propositiones*, *proxima materiam*, præscribens illis, quomodo secundū affirmationem & negationem, item secundū vniuersalitatē & particularitatem habere se debeant, si velint adapti syllogismi constructionem admitti. Et sic vt runque tam *figura* quam *modus* suum officium diligenter præstare debet, alias sæpe fiet, vt *figura* quidem sit bona sed *modus* nihil valeat, vel contra etiam. In constituendis diuersis figuris solum præmissæ attenduntur, & ex eo quod triplex trium terminorum fieri possit combinatio, tres exurgunt figuræ I. Quando medium semel prædicatur & semel subiicitur II. Quando medium bis prædicatur, III. Quando medium bis subiicitur; plures figuræ non sunt possibiles: triplex hæc combinatio apud S. Thomam cap. 4. de syllogismo hoc versu continetur.

Sub, præ, *prima* Bis præ, *Secunda*. *Tertia*, sub bis.

XI. *Modus secundum se* respicit tantum *premissas*, & hinc sedecim vniuersim modi tam vtiles quam inutiles recententur, ex eo quod quatuor illæ litteræ A. B. C. D. tot diuersis inter se constructionibus componi possint: *Secundum nos* tamen etiam *Conclusionem* respicit & dirigit, alias *Celarent* & *Celantes* non essent diuersi: Imo naturā suā præ supponit figuram iam suo esse functam officio. secus admittere debet eundem modum in duabus diuersis figuris poni, vt in *Cesare* & *Celarent* manifestum euadit. Verum hinc queritur *Quid modus Indirectus? & an detur huiusmodi in primâ solum figura & an etiam in II. & III. locum habeant? Modus indirectus* vocatur ille, qui facit in *Conclusionem* minus *extremum prædicari de Maiore*, adeoque naturalem inferendi viam inuertit.

inuertit, faciēdo vt Maior minori feruire debeat, cum aliās contrarium fieri soleat: & sic potest esse modus Indirectus, licet ipsa Conclusio quatenus propositio, directā foret, vt patet hoc exemplo: *Omne rationale est homo, quoddam animal est rationale, ergo quidam homo est animal.* Vnde patet euidenter totam rationem syllogismorum *Indirectorum* desumi à prædicatione Maioris vel minoris extremi &c.

XII. Vt quæstioni propositæ respondeatur, notamus, *Modum Indirectum* esse duplicem. I. *latè* sic dicitur omnis ille, *cuius Conclusio postquam illata est, conuertitur*; adeoque in qua, secundum nostram & Aristotelis explicationem, Minus extremum prædicatur de Maiore, & sic in I. figura erunt V. modi indirecti; in II. Duo tantum; in III. Tres; nam qui Conclusionem negatiuam particularem habent, conuerti simpliciter non possunt, ac proin Indirecte nihil colligere. *Modus Indirectus proprie dictus* duo exigit; I. Vt in Conclusionem prædicetur Minus de Maiori extremo; II. Vt in præmissis talis sit combinatio, vt, nisi *indirecta*, alia Conclusio inferri non possit: huius cæsus sunt in I. Figura duo, *Fapesmo*, *Frisesom*. In II. etiam duo, *Firesmo*, *Boraco*; in III. etiam duo, *Fapemo*, *Frisemo*: v. g. facio syllogismum in *Fapemo* hoc modo: *Omne rationale est sensibile, nullum rationale est equus, ergo quoddam sensibile non est equus*; verissime hoc infero *indirecte*, si directe voluissē inferre, falsō dixissē: *Ergo quidam equus non est sensibilis.*

XIII. Hanc autem explicationem & has condiciones esse legitimas, probatur maxime auctoritate Aristotelis, qui in hoc libro agens de modis *Indirectis* adfert exempla in I. Figura ralia; ex quibus etiam non possit alia, quam *Indirecta Conclusio* inferri, nimirum *Fapesmo* & *Frisesom*, vt facienti exempla facile apparebit; II. Postquam de ijs tractasset, subdit, *similiter et in alijs figuris per Conuersionem fit syllogismus*; vbi non quamcunque *Conuersionem* intelligit, sed talem, qualis est in illis duobus modis exempli gratia ab ipso illatis, sed ibi requiritur talis *Conuersio*, vt nisi Malus extremum, seu Terminus qui cum Medio in prima propositione ponitur, subiiciatur, apta Conclusio non deducatur, ergo significat ex sua mente tales condiciones requiri; & in alijs figuris hoc etiam fieri posse. Certe in alijs modis indirectis tantum artificium

aut necessitas non apparet, ut peculiare modos constituere debeant; hinc illi tres *Baralip. Celantes, Dabitur* præter mentem Aristotelis ab alijs sunt additi.

S IV.

DE PRINCIPIIIS SYL-

LOGISMVM DIRIGEN-

T I B V S.

XIV. Principia Vniuersalissima & lumine naturæ nota sunt duo principaliter, nimirum *Dictum de omni* & *Dictum de nullo*. Prius dirigit duos primos I. Figuræ modos affirmatiuos, Sensus eius est communiter ille: *Quicquid dicitur vniuersim de aliquo subiecto, affirmatur de quouis contento sub illo*: Ac si diceretur: omne illud quod affirmatur de alia re vniuersaliter & distributiue accepta, illud ipsum potest affirmari de omni illo, quod huic rei subijcibile est, & de quo hæc affirmari potest v. g. In hac propositione *Omnis homo est rationalis*, affirmatur *rationale* de homine vniuersaliter & distributiue sumpto; iam idem *rationale* affirmari potest de Petro, quia Petrus est homini subijcibilis, & homo, de quo *rationale* affirmatum erat, affirmatur de Petro: Adeoque illud quod illabitur & fluit in aliquam rem secundum omnem suam latitudinem & partes sumptam, influit in omnia illa, in quæ illud alterum illabitur: Non aliter quam si in fontem è terra scaturientem Rubrum v. g. colorem iniicias, ille color illabatur & deriuabitur ad singulos riuos inde promanantes &c.

XVI. *Dictum de nullo*, contrarium sensum habet, ita enim explicatur: *Quicquid negatur de aliquo vniuersaliter accepto, negabitur de omni eo, de quo illud alterum affirmatur*: Adeoque quod alicui rei vniuersaliter & distributiue sumptæ non conuenit, neque conueniet illi, cui illa res conuenit seu cum qua Idem est. v. g. De lapide negatur quod sit homo, in hac propositione; *Nullus lapis est homo*, consequenter negabitur etiam *Homo* de *Smaragdo*, de quo affirmatur quod sit lapis, adeoque propterea *Smaragdus* non est homo, quia *Smaragdus* est & continetur sub lapide, de quo itidem negatum est quod sit homo: non aliter quam

si dicas, *nulli Germano dabo centum florenos*, consequenter neq; Dilingano dabis, qui hic continetur & est germanus. Dirigit hoc principium duos modos negativos I. Figuræ, *Celarent & Fero*, & eius vis posita in præmissis mox in conclusionem influit; v. g. dicis: *Nulli Germano dabo centum florenos, omnis Dilinganus est Germanus, ergo nulli Dilingano dabo &c.*

XVI. Sequitur hinc reliquas figuras in tantum participare efficacitatem horum principiorum, in quantum reduci possunt & reducuntur ad prima figuram. Interim pro II. Figuræ assignatur hoc principium proprium; *Quidquid repugnat consequenti repugnat antecedenti, seu ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis*: Vbi per *antecedens* non intelligenda integra propositio, sicut nec per *consequens*, sed per *antecedens* intelligitur *subiectum alicuius propositionis affirmatiuæ*, per *consequens eius predicatum*; illud autem dicitur repugnare consequenti seu predicato, de quo illud affirmari non potest. v. g. hunc syllogismum esse bonum cum dico, *Nulla arbor est homo; omnis Philosophus est homo, ergo nullus Philosophus est arbor*, probatur ex dicto principio: nam Homini repugnat esse arborem, ut patet in I. propositione, ergo etiam Philosopho repugnat esse arborem, eo ipso quia est *antecedens* hominis; licet hoc ipsum principium reduci possit ad primum illud, *Dici de nullo &c.*

XVII. Tertia figura hoc habet: *Quæ sunt eadem vnt tertio, sunt eadem inter se*: Eadem esse dicuntur, quæ simul in eadem propositione affirmatiua stare possunt; itaque quando duo distincta alioqui possunt affirmari de vno tertio, possunt etiam de se affirmari: hinc bene dico, *Omnis peccator est imprudens, quidam peccator est diues, ergo quidam diues est imprudens*: quod *Diues & Imprudens* inter se conueniant in hac Conclusionem & sint eadem, causa est, quia prius cum vno *Tertio*, nempe cum *Peccatore* conueniant. Nascuntur ex illis principijs, maxime ex primo, alia quedam regulæ, septem potissimum, omnibus figuris communes, his versuum septis coërcitæ.

I. *Terminus est Triplex. II. Medium Conclusio vitet;*

III. *Hoc ex præmissis altera distribuat;*

IV. *Si præmissa simul fuit vtraque Particularis;*

V. *Aut vtrinque Negans, Nulla sequela venit;*

B 2

Particulare

VII. Particulare præit; sequitur Conclusio talis:

VII. Ponitur ante *Negans*? Clausula talis erit.

XIIX. Propinquius tamen principium, quod hinc deducitur & à quo quædam ex his regulis dependent, est hoc: *Non valet argumentatio à non distributo ad distributum*; vel *Nullus Terminus distribuatur in consequente, qui non sit distributus in antecedente*. Ratio huius principij, inter alias, desumi debet ab *Identitate* quæ est inter prædicatum & subiectum: nam si Terminus in antecedente non distribuatur; non exhauriuntur omnia eius significata; adeoque tunc subiectum & prædicatum non omnimodè secundum omnia significata identificantur; si autem idem Terminus primùm distribuatur in consequente, tum secundum omne suum significatum deberet cum altero Termine identificari, quod fieri non potest; nam tota ratio cur duo in Conclusionè sint Idem, est; quia in præmissis vel inter se, vel cum aliquo tertio fuerunt Idem. v. g. dico *Homo est animal*, hic *animal* non secundum omnia sua significata identificatur cum *Homine*, at vero si inferrem; ergo *omne animal est homo*; tum Homo secundum omnia animalis significata identificaretur cum illo, perinde ac si dicerem; ergo *& leo est homo*, & *lepus est homo* &c.

XIX. Ex VII. Regulis illis vna magis etiã propinquè accedit ad generalia illa principia quam alia, & magis requiritur, vt dicta principia vim exercere suam possint; I. Quæ *Tres Terminos requirit*, omnino est necessaria; causa enim quare in Conclusionè prædicatum conueniat & insit subiecto est tota illa, quod tam subiectum, quam prædicatum illud prius in vno tertio conuenierint; adeoque illo tertio seu vinculo colligata tenentur; quod si quantum addas *Terminum*, nullam connexionem euinces, vt si dicas; *Omne canis laterans est animal; quædam stella est Canis; ergo quædam stella est animal*: Nihil sequitur, alius enim erat *Canis* eum quo conueniebat *Animal*, & alius cum quo *Stella*. Hæc eadem ratio requirit III. regulam, vt *Medius Terminus distribuatur in præmissis*: si enim dicas *quoddam sensibile est homo; quiddam equus est sensibile; ergo quiddam equus est homo*, nihil facis, aliud enim sensibile est in Maiore & aliud in minore. II. Clara est ex eo, quod nihil sit causa suspensæ. IV. & VI. sequuntur ex th. præc. V. & VII. requiritur ex vi dicti De nullo; causa enim quare duo pugnent in Conclusionè, est quia vnum ex ijs idem erat cū aliquo, cum quo alteri conuenire non poterat &c. § V. An.

§. V.

AN SYLLOGISMI IN III.

FIGURA EX NECESSARIO INF-
RANT CONTIN-

G E N S.

XX. *Darapti* primus tertiæ figuræ modus hoc tempore potissimum huius criminis arguitur; quod huiusmodi exemplis probatur: *Omnis physicus est sciens, omnis physicus est animal, ergo quoddam animal est sciens.* Item *Omnis albedo est color, omnis albedo est qualitas, ergo quodam qualitas est color:* in his exemplis dicunt Conclusionem esse Contingentem, neque enim animali per se & necessario convenit quod sit sciens &c. & tamen præmissæ sunt necessariae: Quadruplicem saluandi hos Modos viam videre est apud P. Stengelium in libello suo de syllogismo §. 57. ubi tres priores ipse deserit. in quarta consistit: Nos hic quintam addemus, a viris in hac palestra exercitatis monstratâ, quam inire lubet, donec & hac intercepta, quod nō speramus, tutior aperiatur.

XXI. Dicimus itaque dictos syllogismos *Conclusiones habere necessarias*: easque non *consequentie tantum, sed consequentis necessitate*, uti supra declarata est: Pro quo distinguimus duplicem necessitatem ex Franc. Albertino t. 1. 3. princ. phil. dub. 2. punct. 1. not. 3. alia est *in sensu Diuiso seu simpliciter dicta*, quando scilicet nulla suppositione (aut deductione vnius ex alio) prædicatum absolute subiecto convenit: alia est *in sensu Composito*, quæ conuenit subiecto per compositionem seu coniunctionem alicuius formæ in subiecto: (adeoque etiam per deductionem ex illo, cum quo simpliciter necessariam connexionem habet.) Et sic fieri potest, ut propositio in se absolute spectata sit contingens, fiat tamen necessaria, quatenus cum necessarijs connexionem habere, & ex illis educi demonstratur, quæ necessitas, utique sufficiens est pro illis regulis saluandis.

XXII. Assertio nostra probatur I. à posteriori: Certum est in bona forma ex vero non sequi falsum, (consequenter nec ex necessario contingens) dicti syllogismi sunt in bona formâ: & præmissæ sunt necessariae; ergo ex ijs sequi non potest contingens.

Minor habet duas partes I. Certa est eò, quòd in formà vitium hìc nullum ostendi possit. II. Etiam patet, illarum propositio- num contradictoriae sint impossibiles, ergo ipse sunt necessariz, nam hoc est indicium necessariorum propositionum: antecedens certum est, nam impossibilis est, hæc propositio, *aliqua albedo non est qualitas aut accidens*. II. probatur: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eodem inter se, sensu supra Th. 17. declarato, ergo eti- am quæ sunt *necessario* eadem vni tertio, sunt etiam *necessario* ea- dem, inter se; sed in proposito *Color & Qualitas* sunt *necessario* ea- dem vni tertio, seu necessariz cum vno tertio connexionem ha- bent, ergo etiam inter se necessariam habent connexionem.

XXIII. Confirmatur I. Dictæ Præmissæ possunt admit- tere modum *Necessæ*, ergo etiam Conclusio inde deducta eundem admittere potest, ergo illa Conclusio erit necessaria: nam alias im- possibile esset, vt illum modum admitteret; primâ consequentia probatur ex Arist. I. Prior. c. 8. explicante sic Iulio Pacio & Pau- lo Vallis. Antecedens autem probatur in exemplo *Omnis albe- do necessario est qualitas, omnis albedo necessario est accidens, er- go quoddam accidens necessario est qualitas*. Conf. II. Neces- sitas harum Conclusionem deduci potest per syllogismum expo- sitorij hoc modo; *Hic homo est necessario animal, hic homo est ne- cessario substantia, ergo quedam substantia necessario est animal*: Ergo in hac Conclusionem præsupponitur adesse necessitas. Con- firmari III. Ex Theologorum doctrinâ potest, in quâ proposi- tio aliqua vt *deducta & explicata* saltem ex vna propositione de fi- de, licet altera naturaliter tantum nota sit, maiorem certitudinem acquirit, quam in se spectata haberet; sed hoc illis relinquimus.

XXIV. Auctarij loeo quæres, quo morbo laborent isti syllogismi? I. *Homo est sonus, quedam substantia est homo, ergo quedam substantia est sonus*. II. *Homo est species, Eckardus est ho- mo, ergo Eckardus est species*. III. *Omnes Physici sunt 50. Vlfo est Physicus, ergo Vlfo est 50*. IV. *N. quadrupes est necessarium equi- ri. O. equus est quadrupes, E. N. equus est necessarius equiri*. V. *Alter oculus est lob visuro necessarius, Dexter lob oculus est al- ter eius oculus, E. dexter lob oculus est necessarius lob visuro*. VI. *Quot hac horâ esse potes panes bilibres, peractâ horâ pessunt à te esse comesti, hac horâ esse potes 100 panes bilibres, ergo*. Sed hoc vide- tur falsum. VII. *Quod non existit, non possum tibi dare; si dico;*
promitto

promitto tibi equum, *ille equus non existit*, ergo. Min. probatur: promitto tunc equum indeterminatum, talis non existit; ergo &c. Solutio horum pendet ab hac q. *Quenam suppositiones sint inter se Incompossibiles?*

XXV. Suppositiones Incompossibiles dici possunt II. modis: I. *Simpliciter*, quæ simul super vnam vocem nec in eadem propositione, nec in eadem consequentia cadere possunt. II. *Secundum Quid*, quæ licet int. eandem vocem in eadem propositione afficere nequeant, possunt tamen in illâ reperiri in eadem consequentiâ repetita sine falsitate aliqua. Hinc fit. I. *Materialem & formalem: Simplicem & Personalem aut Absolutam* simpliciter pugnare. II. Etiam *Copulatam* (proprie sumptam, vt simultatem inuoluere intelligitur) & *Confusam*, sicut & *Determinatam*. III. *Confusa & Determinata* pugnant secundum quid. IV. Vox admittens *Distributinam* admittit etiam in eodem extremo *Determinatam*, *Confusam* & subinde *Copulatam*: sed non contra. V. *Compossibiles* in eadem consequentiâ simpliciter sunt *Distributiva*, & *determinata*, vt patet in *Darj.* Item *Distributiva & Confusa*, vt probat *Barbara &c.*

XXVI. Apparet hinc vitium III. Priorum Paralogismum. IV. vere concludit, si in M. & Conc. subiectum supponatur *Disiunctiue*: si in M. sumatur *Disiunctiue*, & in Conc. *Copulatiue*, tum non mirum est, si fallat. V. M. habet veram in sup. *Disiunctâ*, falsam in *Disiunctiua*: nihil autem concludit, quia medium non distribuitur: ac si diceres (stante coram leone & lepore) *Alterum animal hic est lepus, leo est alterum animal, ergo leo est lepus*. Ad VI. potes hac hora comedere 100. panes *Distributiue*, hoc est, quemuis seorsim spectatum, & non cum connotatione ad alium; sed non potes omnes comedere *Copulatiue* & in cumulum acceptos. Ad VII. Cum dico, *promitto tibi equum*, intelligitur *equus* indeterminatus quoad modum nostrum concipiendi equum, quando solemus facere huiusmodi propositiones, interim referuo conditionem, illum dandi, quem determinauero. Ratio repugnantie horum suppositionum, peti debet ex Identitate cum Medio requisita, & supra explicata in §. 4.

*Ad maiorem DEI: Virginis Matris: SS. Catharinae
& Francisci Xaverij honorem & gloriam.*

AD RELIGIOSVM

D. DEFENDENTEM.

Antè palestrita quàm congregiantur are-
nâ,

Committantq; artè pectora pectoribus:
Præludent; tentant quâ sint Virtute lacerti,

Atq; exire ictus quâ ratione velint.

Exin Palladio perfusi membra liquore,

Strato, victores, hoste, redire flagrant.

Tu nunquã prælusa subis quòd prœlia, crede,

Maiora accipies vulnèra Pancratio.

Vulnèra sed temnis, cùm sit tibi ad orea cordi,

At, nisi victori, non datur illa Sopho.

F. Gaspar Mair; Ad S. Crucem Danuyverdæ
Professus, Logicæ studiosus.

